Zawadzki Bernardinus.

Marci Ioannis: Salve Palladium —

Salve Palladium,

Quod

ILLUSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

JOSEPHO BERNARDINO COMITI DE ZEBRYDOWICE ZEBRYDOWSKY,

PRÆPOSITO INFULATO

Sancti Stephani de Kô ad Tibiſcum, Canonico Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis, Eccleſiarum Iglovienſis, Warallienſis & Olaſſienſis Adminiſtratori, Sacræ Regiæ Majeſtatis Poloniarum Secretario, Celſiſſimi Principis Jacobi Cancellario nec non Judici Tribunalis Regni, &c. &c. &c.

Domino Domino Mæcenati, Evergetæ, Patrono & Promotori ſuo humili cum Obſervantia & debito Obſequio æviternùm proſequendo, colendo.

Major Iglovienſis Minerva
vocaliter & inſtrumentaliter exhibuit
Anno, quo Pierides Hornathinæ
lætanter occinunt:

MagnVs aDest patronVs; VIVat IgItVr, Vigeat & perennet FeLICIter, FIat!

IMPRESSUM LEUTSCHOVIÆ

Typis SAMUELIS BREWER.

Minerva auſpicatur petitq́; gratioſam Salutandi Licentiam.

TAndem ergò poſt victorioſè & glorioſè depreſſa concuſſaq́; Ottomanicæ Lunæ cornua & obtentos ſublimes Confœderatorum Regum ac Principum Chriſtianorum Triumphos, ſerenus Tuus, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, Domine & Mæcenas, Muſageta, Evergeta atq́; Patrone Munificentiſſime, ter felix nobis illuxit Phœbus, anhelantesq́; Igloviani Heliconis Pierides benigniſſimo fulgore ſuo irradiavit ac irradiando exhilaravit; Hinc præ inſveto geſtientes gaudio in gratioſam Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Præcellentiæ Tuæ auſæ ſunt prodire Præſentiam, ut eandem piis devotisq́; poſſint venerari Salutationibus: Patere igitur, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, patere, inquam, debitæ Pietatis & Obſervantiæ Tibi deferri Symbola!

Apollo invitat & concitat Pierides ad peragendam Salutationem.

SUrgite Pierides, Parnaſſia linquite tecta,
Magna peracturæ gaudia, ferte Melos!
Muſam Muſa deinde ex ordine porrò ſequatur,
Uranie primò Terpſichoreq́; veni!
Erato, Euterpe, Polyhymnia, Clio, Thalia,
Carmina Melpomene Calliopeq́; canant!

In sylvas abeat dolor & præcordia mœsta
Limine de nostro sint maneantq; procul!
Uranie primò incipe votaq; pande, Sorores
Subsistant reliquæ Teq; vovendo juvent!

Chorus Musarum sive Pieridum ad Imitationem Martialis Lib. 8. Epigr. 21.

1. Uranie.

PHosphore, redde Diem, quid gaudia nostra moraris?
Lætum Tu nobis, Phosphore, redde Diem!

2. Terpsichore.

Phosphore, redde Diem, Phœbo quæ grata vocatur
Zebrydoviadum: Phosphore, redde Diem!

3. Erato.

Phosphore, redde Diem, quô non felicior ullus
Illuxit nobis: Phosphore, redde Diem!

4. Euterpe.

Phosphore, redde Diem, qui nobis gaudia portat:
Qui nos exhilarat, Phosphore, redde Diem!

5. Polyhymnia.

Phosphore, redde Diem, magno quem poscimus omnes
Jam desiderio, Phosphore, redde Diem!

6. Clio.

Phosphore, redde Diem, quid Cantica nostra moraris?
Nostris Tu chordis, Phosphore, redde Diem!

7. Thalia.

Phosphorus ex Votis devoti en, nostra coronat
Vota, Diem, quem flagramus jam reddidit ipse;
Ergò surgamus nostris de sedibus omnes
Castaliis, nobis hæc Lux venerabilis esto;
Tangamus Chordas, hæc Lux lætabilis esto:
Carmina pangamus, Lux hæc laudabilis esto!

8. Melpomene.

Salve læta Dies, nostrum Patronum
Quæ reddis modò publicè videndum!

9. Calliope.

Si unquam Superi benignam suæ in nos Voluntatis edere Significationem voluerunt, id certè fecerunt, cùm Illustrissimam

ſimam ac Reverendiſſimam Præcellentiam Tuam ſalvam & incolumem ex Oris Septentrionalibus in huncce Iglovianum Horizontem Comitatus Scepuſienſis nobis redonârunt & reſtituerunt; Quid enim majus Cœlo ſuperare potuimus, quàm Zebrydovianæ Benignitatis atq; Munificentiæ præſentem cernere Phoſphorum? Nihil hic mediocre, ſumma omnia; Meritò itaq; Lætitiæ ſigna promimus, & erubeſcente Eloquentiâ Illuſtriſſimam ac Reverendiſſimam Præcellentiam Tuam impræſens ſalutamus:

Lynceſtè.

Salve! iterumq; Salve! Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, Domine, & piarum Muſarum Patrone ſemper Gratioſiſsime, Benigniſſime!

Echione.

Huc ades, huc liquidæ pollens Symphonia Muſæ,
Huc ades harmonici pura Medulla Chori!
Nobiſcum cantate ſimul Syrenes & Orpheus,
Cantet & Amphion, Cantet & Hermogenes!

Chorus Muſicorum.

Salve, Mæcenas, ter mille, ter ampliùs! Eja!
Concentu ſalve terq; quaterq; pio!

Althæa.

Inter feſtivas Salutantium & Gratulantium Voces lætosq; plauſus verecundo rubore & ego in publicum prodeo, ac humillimè Illuſtriſſimam atq; Reverendiſſimam Præcellentiam Tuam oro, ut ſiquidem ob penuriam eruditarum virium nihil ſingulare tantoq; Patrono dignum adferre nôrim, cum Choro Muſico Salutationem reiterare poſſim:

Chorus Muſicorum.

Salve, Mæcenas, ter mille, ter ampliùs! Eja!
Concentu ſalve terq; quaterq; pio!

Bromie.

Nunquam hilariùs frontem exporrexit Iglovienſis Minerva, quàm ubi poſt ſedatos Mahometanæ Bellonæ ſæviſſimos Aquilones & repreſſos inimicorum furorum imbres, quibus Chriſtianus orbis per benè multos hactenus annorum decurſus nocentiſſimè agitatus, laceſſitus & afflatus fuit, Te, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, Domine atq; Rei Literariæ Protector Gratioſiſſime, proſperè omine fauſto in haſce Regni partes re-

)(3 ducem

ducem cernere potuit; Quare, ut hilaritatem suam magis magisq; testatam reddat, ecce in devotissimam sese demittit Salutationem, concinendo:

Magne Comes, noster quem Phœbus & Aula Camœnæ
Eximiâ meritò laude coronat, Ave!

Dioxippe.

Nunc respirat primulùm Minerva Hornathina, ubi gratissimi publicæ tranquillitatis & aureæ Pacis Favonii susurrare incipiunt, præsertìm verò, cùm hâc eadem felicitate perfusam quoq; esse videat Illustrissimam ac Reverendissimam Præcellentiam Tuam in hocce desideratissimo Ejusdem ad Nos Adventu, Cui etiam propterea ex intimis præcordiorum Medullis pium Salve depromit, hilariter decantando:

Salve iterùm Nobis, Salve Spes optima Pindi!
Salve Pierii Gloria Magna Chori!

Idothea.

Dùm tota Parnassi Igloviani Provincia per Te, Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine & Patrone semper Observandissime, ex felicissimo Tuo aspectu dulci afficitur gaudio, mihi torpére aut latére turpe profectò foret, idcircò & ego totus gestiens animi gestientis Signa publico, devotoq; ore intono:

Quod felix! faustum! Comes Illustrissime, Salve!
Zebrydovio sato ab Avito Stemmate!

Ambrosie.

Et mihi non inter privatos nunc parietes hærendum, qùum tot tantaq; communis Lætitiæ Signa conspiciuntur, prodeo igitur & ego audacter, Teq; Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine & Musageta Benignissime, plus millies Salvere jubeo:

Salve, Magne Comes! Musis benè consule nostris!
Fidelibus semper faveto Servulis!
Nosq; Patrocinio minimos dignare Clientes,
Qui devovent totos Tuis se Cultibus!

Teriphone.

Quò alios ducit Consuetudo, me nunc trahit Pietas, quippè dùm omnes in salutando & gratulando occupatissimos esse video, mihi quoq; tacendum non erit; Sed nescio, quid priùs dicere debeam, siquidem ingens Salutationum Series sese mihi offert, ex plurimis tamen unam mihi eligam & quidem brevissimam: Salve Patrone Maxime!

Dinomache.

Fabricent alii artificiosos arcus, delicioso fundant alii Vina dispendio, communis testimonium gaudii: Alius tonitruantes catapultas, pyrobolos & missiles Lætitiæ ignes discriminatim per compita & plateas dispergat: Ego ex Pimplæis haustam Gratulationem fontibus, Tibi, Illustrissi-

me ac

me ac Reverendissime Domine, venerabundus eam defero & oblectationis argumenta alacriter expono, ingeminans:

Vive diu, Comes Illustrissime, vive perennis!
Sit Tecum semper Gratia sancta Dei!

Adrasta.

Cùm Illustrissima ac Reverendissima Præcellentia Tua præclaris atq; heroicis Virtutibus maximum gratulandi Theatrum Musis Igloviensibus pandat & aperiat, continere me haud possum, quin non etiam pro tenuitate mea in vota prorumpam, piè & devotè vovens:

Vivas & vigeas, multùm venerande Patrone,
Teq; Tuasq; vias sospitet ipse Deus!

Eriphia.

Admittes porrò & me, Illustrissime ac Reverendissime Domine & Patrone Colendissime, admittes, inquam, me in gratiosum Tuum Conspectum, ut & Ego pari cum Pietate & Devotione gratulandi munera peragere queam, namq;

Tu facis, ut nostrum vox læta perambulet Iglo,
Nosq; magis toto reddit in orbe pios.
Per Te quisq; suis castis advolvimur aris,
Quisq; Deo certas expedit ore preces.
Corde pio voveo quantum Virtute mereris,
Hoc vovet & nostræ culta Camœna Scholæ:

Chorus.

Sidera serus adi felici sidere natus!
Sit Tua Fama Solo, Vita, Salusq; Polo!

Coronis.

Sed, ne fortè intempestivâ prolixitate & verborum lenociniis Tibi, Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine & Mæcenas Benignissime, molesti ulteriùs esse videamur, itaq; in Te Maxime Patrone, veluti affectuum nostrorum centro, præmissis Salutationibus præcocem graculandi cursum sisto, Votorumq; figo Terminum, hocce Corollarium adhucdum addendo:

Vivas ter felix & ab omni parte beatus!
Nestoreos vivas, Magne Patrone, Dies!
Sic Te cum Luna, sic Te cum Sole canemus,
Laude Tua prompti Vesper & Ortus erunt!

O faxit Summus ille rerum Arbiter, quatenus Illustrissimam ac Reverendissimam Præcellentiam Tuam post exantlatas publicas Regni huj9 miserias funestasq; Mavortis strages

sæpiùs

ſæpiùs hîc Iglovi æ in exoptata Pace & Tranquillitate Soſpitem Hoſpitem & pronum Patronum conſpicere & venerari poſſimus!

Chorus.

Hoc DEUS, hoc Votum faxit ab Axe ratum!

Minerva concludit.

Serenâ igitur fronte, ut ſoles, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, Domine & Mæcenas ſemper Gratioſiſsime, ſalutantes & gratulantes Pierides Iglovienſes excipe, quæ, ut Tuis enixè favent Honoribus ac majus Dignitatis augmentum læto comprecantur Pectore, ita porrò fovere perge ad immortalem Tui Nominis Gloriam & Famam nullo unquam ævo interituram. Dixi.

Hocce chartaceo munere Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino, Domino Mæcenati, Evergetæ & Promotori ſuo incomparabili ſeſe totiusq; Igloviani Heliconis Muſas devotiſſimè ac humillimè devovet,

Dicatum & oblatum
Iglov iæ, Anno 1687.
Menſe Martio.

Subjectiſſimus atq; Obſequentiſſimus
Cliens & Servus

M. JOANNES Marci,
Scholæ ibidem Rector.